

si in tenebris eiusmodi lucerna vteretur, de cuius luce nihil videre posset, & ne nomen quidem lucernae mereretur, quod est contra Ps. CXIX, 105.

§. IV. Dissentiunt hic non modo illi, qui *Phariseis illuminationem omnem denegant*, sed & omnes illi, qui *negant, dari illuminationem gratiosam ante regenerationem & renouationem*, aut diuelli posse actus gratiae sanctificantis, licet distingui ratione possint, eo, quod *intellectus illuminari non possit, nisi simul emendetur voluntas*, quod tamen perperam fieri exemplo Phariseorum, constat. Qui enim illud negant, illi non modo in sanctitatem Seruatoris peccant, sed & reos se faciunt Donatismi, in Artic. VIII. Aug. Conf. damnati, vbi pii Confessores etiam ministris malis, conceptis autem verbis, Phariseis atque Scribis, efficax ministerium adscribunt: quod dissentientes, quorsumcunque effugere tentent, inefficax reddere deprehenduntur.

V. S. *Scriptura est vera, sufficiens, & sola credendorum & agendorum norma.*

§. I. **N**am a) suo loco monitum est cum GERHARDO, cathedram Mosis ideo sic appellari, quod Mosis scriptis, exclusis quidem heterogeneis, non tamen homogeneis, fuerit destinata: in his autem non modo *agenda*, sed & *credenda* fuisse comprehensa, quicquid dicant Sociniani, in dubium vocari non potest, nec dubitare nos sinunt loca Ioan. V, 39. Act. X, 43. Act. XV, 11. Luc. XVI, 29. XXIV, 27. alia. Ad hanc itaque dum remisit Seruator populum, Mosem normam esse fidei & charitatis, comprobauit. b) Nec modo remittit, sed iubet etiam, tamdiu Phariseos audire, quoad Mosis congrua docent. c) A potestate normandi excludit opera Phariseorum, quorum nomine quid intelligendum, in Sect. I. §. X. est indicatum. Verbo, id voluit Seruator dicere, quod olim per Isaiam, c. VIII, 20. *Ad legem & testimonium, id est euangelium,*